



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Sed quid de exercente in malo statu functiones Minorum Ordinum,  
Acolythi, Lectoris, Ostiarii, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

sint moraliter actiones Christi, nec ejus nomine fiant. Irreverentia autem est major vel minor pro majore vel minore sanctitate actionis sacrae, quae exercetur in peccato. Ad cap. cit. Respondent Gregorium nihil in specie determinasse, quam grave peccatum sit singulos Ordines exercere in mortali; ideoque ex materia subjecta aestimandum id esse; & velle solum quod sit peccatum grave ex genere suo: vel loqui non de singulis functionibus, sed de exercitio suorum Ordinum toto & integro, quod totum sine mortali esse non poterat, quia juxta antiquos Canones, qui nunc etiam aliquando observantur, Ministri altaris communicabant in Missa solemni de manu celebrantis.

Suarez, verò docet quod si quis haberet animum hos Ordines sæpè exercendi in malo statu, aut hanc haberet consuetudinem, non esset excusandus à mortali; quia illud propositum vel consuetudo videretur oriri ex quodam contemptu formali vel virtuali; & quia illud objectum ita sumptum videtur satis grave.

*Sed quid de exercente in malo statu functiones  
Minorum Ordinum, Acolyths, Lectoris,  
Ostiarum, &c.*

*Resp.* Ex communi, non peccat mortaliter: quia illae functiones sunt remotae à proprio actu Sacrificandi, & censentur officia imperfecta

fecta respectu Sacri Ministerii, & nunc sæpissimè à Laicis exercentur. Peccat tamen venialiter, dum in solemnè ac publico ritu eas exercet, quia propriè est actus Ordinis ad quem est consecratus.

*Q. 8. An peccat mortaliter Minister conficiendo in peccato mortali Sacramentalia?*

*Resp.* Episcopus peccat mortaliter conficiendo in tali Statu Chrisma & Oleum infirmorum: quia istæ Consecrationes seu Benedictiones fiunt à Ministro ad id consecrato, & sunt gravis momenti; nam per illas fit materia Confirmationis & Extremæ-unctionis, in quibus gratia confertur partialiter intuitu materię sic consecratæ, cum Chrisma & Oleum non sint materia Sacramenti, nisi ut benedicta seu consecrata. Item in illis actionibus se Christi Ministrum exhibet, ejusque personam immediatè sustinet: ideoque gravem injuriam infert Christo, illas actiones exercendo in statu peccati; nam ejus dignitatem ac sanctitatem graviter lædit. Conficiendo verò in mortali reliqua Sacramentalia, qualia sunt Consecratio Templi, Benedictio Abbatis, Vestium Sacerdotalium, aquæ Lustralis, Cinerum, &c. Peccat saltem venialiter; quia est aliqua indecentia ac irreverentia, si absque sanctitate obeat illa omnia, quæ Ordinem sacerum specialiter requirunt. Non est tamen, juxta multos, mortale, quia hæ actiones non  
confe-